

**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè  
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac  
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non  
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu  
peragi possint

**Limpens, Ferdinand**

**Coloniæ Agrippinæ, 1744**

Sanctificetur nomen tuum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](#)

Pars tertia

244 in Spiritu filiali clamo ad te pro filiis meis , quos dedisti mihi . Joan . 17.

2. Vide Pater misericordiarum , quia posuerunt me custodem in hac vinea . Cant . 1, Qui meam ipsius vineam non custodi . Respice tamen ad orationem servi tui . Tu enim mihi dedisti has animas . Ego autem sum velut puer parvulus , ignorans egressum & introitum meum , 3. Reg . 3.

3. Da mihi obsecro sedium tuarum assistricem sapientiam . Sap . 9. Da cor docile , ut ingrediar , & egrediar coram hoc populo tuo . 3. Reg . 3. Rogo te pro meis , ut sis illis in Patrem , & illi sint tibi in filios . Quia pater & mater dereliquerunt eos . Ps . 26. Tu autem Domine assumpisti eos , & collocasti eos cum Principibus , cum Principibus electi populi tui . Ps . 112.

4. Pater juste , fac corda omnia meorum templa mundissima , ut tu cum Filio tuo & Spiritu S. ad eos venias . Mansionem in eis tanquam cœlis tuis facias . Joan . 14. Et cognoscant omnes in lætitia cordis sui . Quia tu Pater noster in medio nostri sanctius Israel . Sophon . 3.

Sanctificetur nomen tuum.

1. Pater sancte , quos dedisti mihi , de mundo non sunt , & ego de mundo non sum . Joan . 17. Sanctifica igitur eos in veritate , ut nomen tuum in iis sanctificetur . Ibid.

2. Hac est vita æterna , ut te Deum verum cognoscamus . Joan . 17. Timeamus , colamus , amemus , & sanctificemus . Rogo itaque pro meis , ut hæc vita in eis sit , & veraciter sanctificantur .

Solide devotionis exercitia. 245

fident nomen tuum sanctum & gloriosum in secula.

Dan. 3.

3. Pater sancte, abyssus omnis sanctitatis, da ut tuâ gratiâ prior ego sanctificem me ipsum, & mei sanctificati sint in veritate. Joan. 17. Et qui justi sunt, iustificantur adhuc, & qui sancti sunt, sanctificantur adhuc. Apoc. 22.

Adveniat regnum tuum.

1. R ex Regum & Domine Dominantium, rogo; ut quos dedisti mihi, tu ipse regas eos, & extollas illos usque in aeternum. Hymn. SS. Ambros. & August.

2. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Luc. 22. Non ita erit inter nos. Rectorem me posuerunt, nolo extolli, sed cum gratia tua ero quasi unus ex eis. Eccli 32. Non dominans in populo, sed quasi forma gregis factus ex animo. I. Petr. 5.

3. Tuum unius regnum veniat super me ac meos. Luc. 1. Tibi serviatur ab omnibus nobis in sanctitate & iustitia coram te omnibus diebus vitae nostrae; quia tibi uni servire regnare est. Ut tandem, ubi tu es in regno tuo, mei sint mecum, & videamus claritatem tuam, & quam dedisti unigenito tuo. Joan. 17.

Fiat voluntas tua.

1. Ecce Domine populus tuus iste elongavit fangiens. Ps. 54. & mansit in consilio iustum & congregatio. Ps. 110. Ut faceret voluntatem